



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De eadem re. xxvi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

**D**ecreuit sancta synodus, vt à septuagesima vsque in octauas paschæ, & ab Aduentu domini vsq; post consecratos dies, necnon & in ieiuniis quatuor temporum, & in Letania maiore, & in diebus Rogationum, & in diebus dominicis, nisi de concordia & pacificatione, nullus su per sacra iurare præsumat.

*Ex cõcil. apud sanctum Medardum, cap. 4.*

*De illis qui sacramentum regis violant. Cap. XXI.*

**S**i quis laicus iuramentum violando prophānar, quod regi, & domino suo iurat, & postmodum peruersè eius regnum, & dolosè tractauerit, & in mortem ipsius aliquo machinamento insidiatur: quia sacrilegium peragit, manum suam in Christum domini mittens, anathema sit, nisi per dignam pœnitentiæ satisfactionem emendauerit, sicuti constitutum à sancta synodo est, id est, seculum relinquat, arma deponat, in monasterium eat, & pœniteat omnibus diebus vitæ suæ. Veruntamen communionem in exitu vitæ cum Eucharistia accipiat. Episcopus verò, presbyter, vel diaconus, si hoc crimen perpetrauerit, degradetur.

*Ex dictis August.*

*De illo qui audierit vocem peierantis, & assensum præbet. Cap. XXII.*

**A**NIMA quæ peccauerit, & audierit vocem peierantis, & testis fuerit, aut ipse viderit, aut conscius erit, nisi indicauerit portabit iniquitatem.

*In Leuitico legitur.*

*De hoc, quod Apostolus Spiritum sanctum testificatus est. Cap. XXIII.*

**V**eritatem dico in Christo, non mentior, testimonium mihi reddente conscientia mea in spiritu sancto.

*Apostolus dicit.*

*De eadem re. Cap. XXIII.*

**H**ieronymus dicit: Iesum testor, & sanctos angelos eius.

*Ex dictis Hierony.*

*Quod definitio incanta soluenda sit. Cap. XXV.*

**D**efinitio incauta laudabiliter soluenda, nec præuaticatio est, sed temeritatis emendatio.

*Ex cõcil. Hibern. cap. 1.*

*De eadem re. Cap. XXVI.*

**S**i puella sita in puerili ætate in domo patris, illo nesciente se iuramento constrinxerit: & si pater statim, vt audierit, contradixerit, vota eius & iuramenta irrita erunt, & facilius emendabitur.

*Ex eodẽ, cap. 3.*